

et bonum, et e contrario mortem et malum. Et infra: *Testes invoco caelum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Eligè ergo vitam, et et tu vivas, et semen tuum* (1). Non video quid ad hunc locum responderi possit. Liber hic in primis non est dubiæ fidei, et a Calvinistis pro canonico, ac divino recipitur.

Deinde, non loquitur Moses ad homines in statu innocentiae, sed ad Hebræos, qui tunc erant cum ipso. Denique, nullæ hic sunt ambages, nam Moses jurat per caelum et terram, se dedisse populo optionem, ut facerent quod vellent, in re maxime morali, id est, in præceptis servandis, aut violandis, et cohortatum fuisse eundem populum ad electionem obedientiae, quæ vitam adfert, et dehortatum ab electione contumaciae, quæ mortem adfert. Nihil autem magis proprium est liberi arbitrii, quam electio, ut in tertio libro demonstravimus.

Secundus locus est, in lib. Josuæ cap. XXIV *Optio*, inquit, *vobis datur, cui servire potissimum debeatis, etc.* (2). Hic etiam locus liberi arbitrii in moralibus pertinet, quoniam Josue significat populum eligere potuisse, vellet ne Deo vero cultum adhibere, vel idolis, id est, an vellet bene agere, an peccare.

Tertius locus est in cap. XXXI. Ecclesiast. *Qui potuit transgredi, et non est transgressus facere mala et non fecit, ideo stabilita sunt bona illius* (3). Non miror hæc loca prudenter a Calvino dissimulata, cum non solum, non vera, sed ne verisimilis quidem aliqua responsio hic locum habere posse videatur. Non enim hoc testimonium trahi potest ad statum innocentiae, neque ullæ sunt in eo ambages, sed liberum arbitrium asseritur ita vere, proprieque liberum in moralibus, ut dicatur vir bonus, ideo dignus laude et præmio, quod potuerit transgredi, et non sit transgressus, facere malum, et non fecerit.

Quartus locus est in priore epist. ad Corinthios cap. VII. *Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, sed potestatem habens suæ voluntatis, et hoc judicavit in corde suo, servare virginem suam, bene facit.* Et infra: *Quod vult faciat, non peccat, sinubat* (4). Hoc loco agitur de bono morali, ut patet ex illis verbis, *bene facit.* Et infra: *Melius facit.* Et: *Non peccat etc.* De hoc autem bono morali faciendo, vel non faciendo, dicit Apostolus,

(1) Deut. XXX, 15, 19. — (2) Jos. XXIV, 15. — (3) Eccl. XXXI, 10. — (4) I Corin. VII, 37, 36. — (5) II Corin. IX, 7.

habere hominem liberam electionem, modo non sit impeditus extrinseca aliqua necessitate voti, juramenti, aut præcepti. Huc enim pertinet illud: *Non habens necessitatem.* Excludit autem extrinsecam, non quod illa tollat liberum arbitrium, sed ut ostendat, eum qui non ligatur necessitate extrinseca simpliciter et absolute liberum esse, ut possit non solum facere, et non facere, sed etiam non peccet, sive faciat, sive non faciat. Nam ut diximus in 4. lib. libertas ab extrinseca necessitate prærequirit libertatem ab intrinseca, et ideo qui liber esse dicitur ab extrinseca, consequenter asseritur liber ab intrinseca.

Quintus locus est in posteriore epist. ad Corinth. cap. IX. *Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus* (5). Loquitur Apostolus de facienda eleemosyna, quod est opus morale; et monet, ut unusquisque libenter tribuat id, quod destinavit in corde suo, id est, quod libera voluntate prælegit, cum in potestate haberet, parum, aut multum velle dare, aut etiam omnino nihil velle dare. Nam illud verbum *προαιρεται*, quo ipse utitur, proprie, ad liberum arbitrium pertinet. Distinguitur enim voluntarium in genere, sive spontaneum, quod etiam bestiis convenit a voluntario libero, quod est proprium rationalis, sive intelligentis naturæ, quod illud dicitur *εχουσιον*. Hoc autem *προαιρετικον*, ut peripicuum est, ex Aristotele lib. III. de morib. cap. 1. et 2. Atque ex Scripturis quidem hæc argumenta sufficiant.

CAPUT XXIV.

Præfatio ad testimonia Patrum pro libero arbitrio in moralibus.

Testimonia veterum Patrum Calvinus non fuit ausus contra se objicere: tamen coactus a Pighio ad pauca quædam loca respondit. Produxit Albertus Pighius, in secundo libro de libero arbitrio, testimonia decem Patrum, S. Petri Apostoli, S. Clementis Romani, S. Irenæi, Tertulliani, Origenis, S. Hilarii, S. Ambrosii, S. Hieronymi, S. Basilii, S. Chrysostomi.

Ad quæ testimonia Calvinus ita respondit, ut Petrum et Clementem, de numero te-

CAPUT XXV.

Testimonia Græcorum Patrum adferuntur pro libero arbitrio in moralibus.

Primus ex Græcis Patribus occurrit S. Ignatius. Is in epist. ad Magnesianos ita loquitur: « Quandoquidem, inquit, actiones ipsæ sua habent præmia, et obedientiae proponitur vita, mors autem inobedientiæ, et singuli, qui aut hoc, aut illud elegerunt, in ejus quod elegerunt, locum abituri sunt, fugiamus mortem, et eligamus vitam ». Et infra: « Si quis pietati studet, Dei homo est, si impie agit, diaboli est, non id factus per naturam, sed per animi arbitrium ». Nihil hic responderi potest. Nam et loquitur S. Ignatius de bono et malo morali, et affirmat, homines eligere id, quod volunt, qui est proprius actus liberi arbitrii; et eum, qui impie agit, per animi arbitrium fieri malum, docet.

At fortasse non sunt Ignatii epistolæ, quæ sub illius nomine circumferuntur, id enim Lutherani objicere solent. Sed recipit eas Eusebius lib. III. Historiæ Ecclesiast. cap. 36. Sanctus etiam Hieronymus multas enumerat, et inter cæteras, istam ad Magnesianos, et Ignatio tribuit in libro de scriptoribus Ecclesiastici. Denique passim citantur epistolæ istæ nomine S. Ignatii ab Athanasio, Theodoro, aliisque Patribus, neque ulla occurrit solida ratio, cur rejiciendæ videantur.

Secundus sit S. Dionysius Areopagita. Is in libro de divinis nominibus, cap. 4. part. 4. prope finem, posteaquam docuerat, malum non esse substantiam, sed defectum quemdam, ita subjungit: « Dixit vero quispiam infirmitatem supplicium non mereri, sed veniam. Si igitur non licuisset obsistere, recte forsitan esset objectum. Sin autem ex ipso bene vires suppeditantur, quod, ut sacra eloquia docent, omnibus simpliciter convenientia tribuit, non est ignoscendum, si quis per ignaviam ab ipso honorum propriorum habitu divinitus procedente aberraverit ». Idem lib. de Ecclesiastica hierarchia cap. 2, part. 3, tribuit homini nomen illud *αυτεξουσιον*, quod fatetur Calvinus proprium esse liberi arbitrii.

Neque ad hunc locum responderi potest, nisi forte libros istos, non esse Dionysii Areopagitæ. Sed certe negari non potest, auctorem hujus libri fuisse virum magnum, et ante mille annos floruisse, cum citetur a S. Gre-

stium anferri juberet, quod eorum verba ex libris recognitionum apocryphis deprompta fuissent. Origenem et Tertullianum, ut hæreticos et qui multis in rebus lapsi essent, omnino contemneret: eosdem item, et Irenæum exponi posse diceret de libero arbitrio, quale fuit in statu innocentiae, non quale nunc est in statu naturæ corruptæ; Ambrosium et Basilium, de libertate a coactione, non a necessitate disseruisse contenderet: solos esse affirmaret Hilarium, Hieronymum et Chrysostomum, qui proprie liberi arbitrii patrocinium suscepissent, sed trium hominum testimonia non esse consensum Ecclesiæ universæ, ut Pighius frustra jactaverat: præsertim cum contrariæ sententiæ inveniantur in Augustino, et Synodo Arausicana.

Illud autem bene habet, et nobis mirifice placet, quod in secundo libro adversus Pighium, Calvinus admittit veteres Patres, ut de controversia nostra iudices sedeant. « Lectores, inquit, monitos velim, non difficulter posse inter me, et Pighium hoc loco convenire, si modo Ecclesiæ traditionem ex certo, et perpetuo Sanctorum et Orthodoxorum consensu, non ex testimoniis hinc inde male excerptis demonstraret. Deinde si simpliciter, et candide uteretur ad veram, et germanam Ecclesiæ doctrinam comprobendam, non ad pingendas horum temporum impias doctrinas abuteretur ».

Nos igitur producemus testimonia omnium Patrum Græcorum et Latinorum, nec ulum prætermittemus auctorem alicujus nominis, et simul diligenter expendemus in singulis, possint necne illis Calvinus responsiones ulla ex parte convenire. Utrum autem simpliciter, et candide illis utamur ad veram et germanam Ecclesiæ doctrinam comprobendam, an ea detorqueamus ad pingendos errores, impiasque doctrinas, lectoris erit judicium. Quamvis si proprie loqui velimus ex testimoniis Patrum, illud investigare debeamus, quæ fuerit Ecclesiæ veteris doctrina, ut quoniam inter nos convenit, in Ecclesia, quæ ante mille annos floruit, veram et germanam fuisse doctrinam, ex comparatione illius intelligatur, utrum nos germanam doctrinam teneamus, qui liberum arbitrium in actionibus moralibus esse defendimus, an adversarii, qui liberum arbitrium, in servum arbitrium commutantes, hominem post lapsum Adami, ex necessitate peccare contendunt.

gorio homil. 34. in Evangelia, nomine antiqui, et venerandi Patris. Nanc si Gregorio antiquus fuit, cum ipse Gregorius ante annos circiter mille floruerit, nobis profecto antiquissimus esse debebit. Sed de hoc auctore alias disseruimus.

Tertius sit B. Clemens Romanus, quem inter Græcos numeramus, quod Græce scriptus sit liber, qui nomini ejus adscribitur. Is igitur in lib. III. Recognition. inducit Apostolum Petrum cum Simone Mago, pro libero arbitrio, sic disserentem: « Dic quomodo Deus judicat secundum veritatem unumquemque pro actibus suis, si agere aliquid in potestate non habuit? Hoc si teneatur, convulsa sunt omnia. Frustra erit studium sectandi meliora. Sed et iudices frustra legibus præsent et puniunt eos, qui male agunt. Non enim in sua potestate habuerunt, ut non peccarent ».

Ad hunc locum prompta responsio est, librum esse supposititium. Nam alioqui liberi arbitrii tam est aperta confessio, ut nihil contra fingi possit. At nos fatemur, librum esse corruptum, ac depravatum ab hæreticis, sed tamen vel esse Clementis Romani, vel alterius æque docti, atque antiqui. Siquidem Eusebius lib. III. Histor. Ecclesiast. cap. 38. scribit, hos libros et esse Clementis, et ab hæreticis depravatos. Idem scribunt Epiphanius hæres. 30. Et Ruffinus in Apologia pro Origene. Meminit etiam horum librorum S. Hieronymus, in lib. II. adversus Ruffinum.

At si corrupti sunt hi libri, ac propterea inter apocryphos recensentur, quorsum citantur a nobis? quoniam manifeste constat, non esse corruptos iis in locis, ubi defenditur libertas arbitrii. Nam ante Ruffini aetatem, qui hos libros latinos fecit, nulli fuerunt hæretici, qui libero arbitrio nimis multum tribuerent, quod postea fecerunt, Pelagiani; multi autem hæretici fuerant qui negaverant liberum arbitrium, ut Simon Magus, Manichæus et alii. Itaque si in his libris negaretur liberum arbitrium, suspicari possemus, insertam fuisse eam doctrinam a Manichæis, vel aliis ejusmodi hæreticis; at liberi arbitrii confessionem non possumus ulli hæretico illius temporis adscribere.

Deinde, veteres Patres, qui dicunt, hos libros corruptos esse ab hæreticis, non tacent in quibus articulis corrupti sint. Scribunt enim in articulis de divinitate filii, aliisque similibus esse corruptos. Corruptelam autem

in articulo de libertate arbitrii, nullus veterum unquam notavit.

Adde postremo, quod quæ dicuntur in his libris de libero arbitrio, eadem repetuntur passim ab aliis Patribus, ut necesse sit, omnes omnium Patrum libros esse depravatos, si libri isti recognitionum in hoc articulo depravati censendi sunt.

Quartus sit S. Justinus Martyr. Is ita loquitur in Apologia ad Imperatorem Antoninum pag. 31. in meo codice: « Nisi libero arbitrio genus humanum, et res turpes fugere potest, et pulchras, ac bonas sequi, extra causam, culpamque est eorum, quæ quoquo modo aguntur. Sed ipsum libero arbitrio liberaque voluntate et recte facere, et peccare docemus ». Et infra: « Neque ille remuneratione, aut laude dignus esset, si per se ipsum bonum non eligeret ». Et in Apologia ad Senatam: « Nihil, inquit, esset in illis laude dignum, nisi facultatem haberent, qua se in utramque partem converterent ». Hic vero Calvinus neque fingit, neque fingere potest aliquid, quod speciem habeat responsionis. Auctor enim certus est, et verba clarissima. Sola pertinacia his, atque similibus resistit.

Quintus sit Athenagoras Justini æqualis. Is in Apologia ad eundem Imperatorem Antoninum: « Liberi arbitrii, inquit, in ipsis quoque (Angelis videlicet) in utramque partem, voluntatem constituerat Deus, sicut et in hominibus liberam et pravitatis, et virtutis deligendæ potestatem habentibus cernere est ». Quid clarius? quid verius?

Sextus sit B. Martyr Irenæus. Is in lib. IV. cap. 71. ita loquitur: « Illud quod ait, Quoties volui congregare filios tuos, et noluisti, veterem legem libertatis hominis manifestavit, quia liberum eum fecit Deus ab initio ». Ac ut intelligat Calvinus, Irenæum non solum significare voluisse, creatum hominem liberum, sed etiam nunc esse liberum, legatur titulus hujus capituli, quem ipse idem Irenæus præfixit. Sic enim habet: « Ostenso, quod homo liber sit, et suæ potestatis, ad hoc ut possit eligere bona, vel contraria ». Legatur deinde finis ejusdem capituli, ubi hæc habentur: « Qui operantur bonum, gloriam et honorem percipient, quoniam operati sunt bonum, cum possent non operari illud. Hi autem qui illud non operantur, judicium justum recipient Dei, quoniam non sunt operati bonum cum possent operari illud ». Et cap. 72: « Si igitur, inquit, non

in nobis esset facere hæc, aut non facere, quam causam habebat Apostolus, et multo prius ipse Dominus consilium dare, quæ quidem facere, a quibus vero abstinere? »

Et adhuc resistit Calvinus, ac probare nititur, Irenæum non dicere id, quod dicit, quoniam in eodem libro scripsit, liberum arbitrium ad imaginem Dei pertinere: imaginem autem fuisse in primo homine, sed per peccatum extinctam, colligi ex Apostolo, qui reformari dicit in nobis imaginem Dei. At nimis frigidum est argumentum contra manifestissimam veritatem.

Nam imaginem Dei extinctam esse post peccatum, neque Irenæus, neque Paulus unquam scripsit. Reformatur vero in nobis imago, quoniam obscurata fuerat, licet (ut diximus) non extincta. Sed de hac re alibi multa diximus.

Septimus sit Clemens Alexandrinus. Is in I. lib. Stromat. pag. 63. sic ait: « Quoniam libera electio et appetitio, peccata primum inchoat, jure infliguntur supplicia ». Et infra: « Quæ cum ita sint, et liberari ab ignorantia, et a mala, et delectabili electione, et ante omnia non assentiri fallacibus illis phantasiis et visis, situm est in nostra potestate ». Vide alium locum, in 4. lib. de Gratia et libero arbitrio cap. 9.

Octavus sit Origenes. Is in comment. ad cap. 13. Matth. exponens parabolam sagenæ piscium, posteaquam dixerat, ab hæreticis accipi per bonos et malos pisces, duas naturas, alteram bonam, alteram malam, ita subjungit: « Huic intellectui repugnant omnes Scripturæ, declarantes esse liberum arbitrium, dum et accusant eos, qui delinquant et probant eos, qui recte faciunt ». Idem Origenes similia docet, lib. 3. de principiis cap. 1. præfat. in epist. ad Roman. hom. 12. in librum Numeri, et alibi.

Sed Calvinus Origenis testimonium non recipit, quod dicat eum in multis lapsus esse. At nos eum in hac re non erravisse, facillime demonstramus. Nam Origenes errores diligentissime notaverunt Epiphanius, Theophilus, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Nicephorus et alii, neque ullus eorum inter errores Origenis posuit, hominem præditum esse libero arbitrio.

Rursus Calvinus Origenis testimonia causæ suæ nihil nocere contendit, quod Origenes disputet adversus Marcionem, qui liberum arbitrium ita tollebat, ut naturam humanam ab ipsa creatione malam esse diceret. At pa-

rum interest, contra quos Origenes disserat, modo liberum arbitrium in præceptis morum servandis prædicet.

Deinde Origenes, ut ostendat, naturam non esse malam a creatione, probat, hominem esse liberi arbitrii, et mutari per se de bono in malum, quod fieri non posset, si esset naturaliter malus. Itaque duo probat Origenes. Primo, hominem esse liberum. Secundo, non esse natura malum, ex quibus duobus unum deducit ab altero. Marcion negabat utrumque, Calvinus alterum tantum; proinde damus Calvino, ut non sit Marcionista, sed Semimarcionista, et Origenes Calvinum non ex toto, sed ex parte confutet. Neque dicere poterit Calvinus, Origenem loqui de libertate a coactione, non a necessitate, nam libertatem a sola coactione Marcionistæ minime denegabant.

Nonus sit Eusebius Cæsariensis. Is in lib. VI. de præparat. Evangel. cap. 5. ita loquitur. « Sic per legem rectam viam ostendit, per liberam vero potestatem effecit, ut in ipsa essent virtutis præmia, sine vi aliqua agere, cum possit etiam contraria mala. Ita si proprio motu naturalem despexerit legem, fons vitiorum sponte, non aliunde, neque ulla necessitate, sed libera voluntate, atque judicio facta est ». Et in extremo capite: « Cæcus profecto de his recte judicaret, non necessitate, sed libero hæc fieri arbitrio ». Itaque testimonio Eusebii cæci sunt Calvinistæ, vel potius cæcis deteriores. Cum id non videant, quod cæci videre possent.

Sed forsitan objiciat aliquis, Eusebium contra eos disserere, qui ponebant fatalem necessitatem, qualem Calvinistæ non ponunt. At Calvinistæ in primis ponunt, etiam necessitatem similem fatali; deinde, parum refert quid moverit Eusebium, ut liberum arbitrium defenderet, modo illud vere docteque defēderit. Denique, nonne Eusebius omnem prorsus necessitatem exclusit, cum ait: « Neque ulla necessitate, sed libera voluntate atque judicio facta est »?

Decimus sit Magnus Athanasius. Is in oratione contra Idola, non procul ab initio, sic ait: « Anima libera est, et sui arbitrii. Potest enim ut ad bona se inclinare, ita bona quoque aversari ». Et infra: « Quæ cum liberum sui jus, arbitriumque intuetur, sentit se in utramque partem corporeis membris uti posse, tum ad ea quæ sunt, tum ad ea quæ non sunt. Ea vero quæ sunt, bona appello, ea quæ non sunt, mala ». Ad hoc